Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

primo misericordiam non uult impendere, ne sic sit misericors ut effusa sit. quia non numquam effusio esse se misericordiam putat. Aliud est enim pietatis studio necessaria proximis dare atque aliud ea que possident sine mercedis intentione dispergere uel amore laudis in uanum dilatare. Quidquid ergo agitur, in radice intentionis pensandum est quo merito apud iudicium creatoris habeatur. Unde et hisdem creator dicit. Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit. uidelicet oculum intentionem, corpus uero actionem nominans. quia si nostra intentio apud deum simplex fuerit. in eius iudicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia sancti uiri sollerter inuigilant. ut se undique aspiciant. utque custodiant. ne aut mala propter ea ipsa appetant. aut hec eadem sub specie bonorum agant scilicet ne se eis uicia uirtutes esse mentiantur. totum corpus plenum in circuitu oculis habent. quia omnis eorum actio prudentia sollicitudinis repletur et circumdatur. Hinc est quod paulus apostolus dum cuidam pe[nitenti] in commisso peccato facinore corinthios prospiceret uoluisse misereri, ait. Si cui aliquid donastis. et ego. Nam et ego quod donaui propter uos in persona christi. ut non circumueniamur a satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. Si enim parcendum erat. cur se humilitate tanta uoluntati discipulorum magister egregius sociat. ut neque ipse a discipulis neque ab eo discipuli in compassionis causa diuisi uiderentur. nisi quia sollicito prudentie oculo attendit. quod plerumque dum alter donat alter irascitur. Et qualis est iam misericordie sacrificium quod cum discordia proximi offertur. Unde recte ait. ut non circumueniamur a satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. quia uidelicet malignus corde recte malum solet immittere. unde alterum conspicit pietatis negocium fecisse. Imperfectum enim bonum est quod sic agitur. ut nequaquam ex elatione alio mali subrepat. non adtendatur non forte hoc quod sine cuiuspiam scandalo fieri non potest. culpa sit non fecisse. Hoc ergo ideo dicimus. ut notum faciamus dilectioni uestre quia aliquando in bono uestro opere est cauendum scandalum proximi. aliquando uero pro nichilo contempnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus. Qui dum tributum petro inquisito peteret. per se paradigma proposuit per quod se nichil debere ostendebat. dicens. Reges terre a quibus accipiunt tributum. uel censum. a filiis suis an ab alienis. Cui cum diceretur ~~responderet~~. ab alienis. illico respondit. Ergo liberi sunt filii. Sed post quam liberum se esse monstrauit ne forte scandalum cuiquam faceret. subdidit. Ut autem non scandalizemus eos. uade ad mare et mitte hamum. et eum piscem qui primus ascenderit tolle. et aperto ore eius inuenies staterem. illum sumens da eis pro me et pro te. Qui rursum cum diceret. quia omne quod in os intrat non coinquinat hominem. et tunc accedentes discipuli dixerunt ei. Scis quia pharisei audito hoc uerbo scandalizati sunt. et tamen propter ueritatis doctrinam scandalum non uitauit. At ille respondens ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus celestis. eradicabitur. Sinite illos. ceci sunt duces cecorum. Ecce magistra ueritas ne iniquorum cordibus scandalum gigneret. et quod non debuit. tributum dedit. Ex qua re nobis considerandum est. quia in quantum possumus sine peccato uitare proximorum scandalum debemus. si autem de ueritate scandalum sumitur. utilius permittitur nasci